

Azarias Sturtz Friedrich Wilhelm Görtz von

## **Disputatio Politico-Iuridica De Statutis Et Consuetudinibus**

Rostochi[i]: Pedanus, 1622

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730910873>**

Druck Freier  Zugang



Startzins - v. Schlitz. Kart.

1622. 16



47. 16  
DISPUTATIO POLITICO-  
JURIDICA  
DE

2

STATUTIS  
ET CONSUE-  
TUDINIBUS.

*Quam*

DIVINA ASPIRANTE GRATIA

PRÆSIDE

NOBILISSIMO, CLARISSIMO ET

*Consultissimo Viro,*

DN. AZARIA STURTZIO

Jcto, & in inçlyta Academia Rosto-

chiensi Historiarum Professore publico, fautore

& præceptore suo colendo

*Publicæ ventilationi committit*

Friderich Wilhelm von Schlig

genandt von Görz.

*Habebitur in auditorio Majori horis matutinis,*

Ad diem 23 Martij.

---

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

ANNO M. D.C. XXII.



REVERENDISSIMO ILLU-  
STRISSIMOq. PRINCIPI,  
AC DOMINO,

Dn. JOHANNI  
FRIDERICO  
Abbati Fuldensi,

Serenissimæ Augustæ per  
Germaniam & Galliam Archican-  
cellario,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Hasce studiorum suorum in Academia Rostochiensis  
primitias in subjectionis signum offert,  
& consecrat.


Friderich Wilhelm von Schlitz  
genandt von Görz.





Disputatio Politico-Juridica  
DE  
STATUTIS ET  
CONSUETUDINIBUS.

THESIS I.



Um sine legibus, quæ spiritum  
& animam Reipub. conservant, *Cic. pro Cluent.*  
nulla potestas politica verè subsistere possit, ut-  
pote quibus ipsa Resp. tanquam fundamento fir-  
miter innitatur & contineatur, in aperto est,  
quodvis regnum, ducatum, provinciam, civi-  
tatem, certum & peculiare jus tam consensu civium constituendo,  
quam etiam usu & observantia confirmando, cujus normam & for-  
mam cives in actionibus publicis & privatis sequerentur, ad salu-  
tem cujusque Reip. introduxisse. *S. jus autem civile. Inst. de jur. nar.  
gent.*

2. Sed cum Monarchiæ quatuor in hoc terreno imperio à  
supremo induperatore sint constitutæ, quarum ultima Romana  
Germana usq; ad omnium seculorum consummationem durabit,  
*Daniel. c. 2. & 7. & latè demonstravi in disput. de quat. Monarch.* leges uni-  
versales non nisi imperator statuum imperij consensu constituere  
potest; quibus omnes gentes & populi Romano imperio subditi  
obtemperare coguntur. *l. leges ut generales. l. si imperialis C. de Legib.*

3. Quamvis enim Romano imperio multi populi sese sub-  
trahere, atq; à jurisdictione Imperatoris & imperij sese eximere

voluerint, ut Galli, Hispani, Angli, Dani, Poloni, Itali, Veneti, &c. attamen cum jura imperij sint perpetua, nec factio imperatorum, aut imperij civium illa diminui, vel abalienari possint, hi populi Romano imperio adhuc jure subiecti sunt, ut quodcumque liceat, imperio eos unire fas sit, nullo obstante exemptionis, præscriptionis & privilegij jure. *Canonber. in C. Tacit. fol. 73. & seqq. Pantmeist. de juridict. Rom. imper. l. 2. c. 4.*

4. Quæ ratione etiamnum præfati populi non tantum majestatem imperij Romani comiter observant, sed etiam legibus Romanorum utuntur; Imo & Turcarum Imperator non tantum hanc majestatem imperij Germani agnoscit, sed etiam Turcas sua lingua Codicem Justiniani habere, eoq; in judicijs uti, *testis oculus: 10. Leunclaus refert.*

5. Optandum equidem esset, ut cum unus sit Monarchia in mundo, ut unum quoq; jus universale constitueretur, quod ab omnibus populis & civibus Romani Imperij observaretur; Unde & leges civiles in unaquaq; Rep. posse doceri quibusdam Jctis placuit. Verum cum leges ita scribi non possint, ut omnes casus, qui quandoq; inciderunt, vel in futurum contingunt, comprehendantur, *l. neq; leges de legibus.* quælibet civitas suæ Reipub. peculiares leges seu statuta condidit, *l. omnes populi d. tit.* quæ populi cujusq; civitatis salutem & tranquillitatem concernerent, ut juxta *Cicer. 3. de LL.* salus populi suprema semper sit lex.

6. Jus ipsum ex justitia, à qua formam assumit, dependens, *l. 1. in princ. de justit. & jur.* per se certum & immutabile est & manet: quoad circumstantias verò locorum, personarum, & temporum varium & subinde mutabile existit, *§. pen. Inst. d. tit.* nullatenus tamen in tanta varietate & discrepantia ab immutabilitate justitiæ recedit, sed suo loco personæ & tempori applicatum jus unum, verum & certum continet. *l. 2. §. 1. de usufr. ear. rer.*

7. Nec enim omnia jura omnibus locis, personis & temporibus conveniunt, sed illud quod magis hisce circumstantijs, quæ semper jus variant, quoad Reipub. salutem & justitiæ dictamen correspondet, eligi, introduci, & necessitate Reipub. suadente aliud atq; aliud constitui debet, *l. præsentis 6. §. fin. C. de his qui ad Es- Mos. l. ant facta §. 1. de pan;* quod & populi moribus subinde mutatur; Atq;

Atq; eo sensu jura inter se pugnare imperiri juris judicant; cum ra-  
raen quod justum in illis locis est, per se justum sit, in alijs verò lo-  
cis esset injustum, si itidem observari deberet.

8. Talia vero jura privata, quæ quilibet populus sibi suaq;  
Reip. constituit, dicuntur leges, constitutiones & statuta regnorum,  
provinciarum & civitatum. *l. pronunciat de verb. signif. c. licet, & c.  
seq. de const. in 6.* Leges Municipij *l. municipij lege de decret. ab ord. fac.  
l. magistratus de municip. l. ut gradatim §. & si lege municipali de muner. &  
honor.* & quæ alias de legibus universalibus à juris publici & pri-  
vati prudentibus referuntur, ad statuta & leges municipales  
commode applicari poterunt.

9. Est autem statutum jus scriptum cujusq; civitatis pro-  
prium. *l. omnes populi de just. & jur.*

10. Unde statuta juri & sic justitiæ debent convenire, ne  
à jure naturæ & recta ratione divertant, sed civium moribus &  
Reipub. saluti accommodentur. *l. jus civile. d. l. omnes populi de justic.  
& jur.*

11. Cum jus sit ars æqui & boni, *l. 1. in princ. de just. & jur.*  
recta juris ratio in æquitate potissimum consistit, cujus præcipua  
in omnibus statutis condendis ratio intervenire debet; *l. placuit. C.  
de judic. ita tamen ut bonum ab æquo nunquam sejungatur. l. non  
exigimus §. si quis 8. in fin. D. si quis caue.* quia teste Cicer. strictum & sum-  
mum jus summam injuriam continet.

12. Omne statutum, sicut & lex omnis constat verbis &  
sententia. *l. scire leges l. contra legem de legib.* Verba sunt, quibus sta-  
tutum scriptum est, sententia, quod statutum ex verbis sentire & vel-  
le intelligitur: *l. fraus D. d. 1. non dubium C. eod. tit.* verba rigorem,  
sententia mentem & æquitatem legis denotant. Quamvis DD. se-  
miris modis in hac legum & statutorum æquitate contorqueant.  
Nonnulli æquitatem aliam scriptam aliam non scriptam conten-  
dunt, *Myns. 6. observ. 63.* alij nullam æquitatem scriptam esse putant,  
*A. August. 4. emend. 8. Conan. 1. com. 11. Duar. 2. diff. 18.* Alij æquitatem  
juris scripti emendationem & q. interpretationem faciunt, *Cujac. 2.  
Feud. 1. & ad Papin in l. 7. de justic. & jure,* ut æquitas in casibus lege seu  
statuto



statuto non scriptis attendatur, atq; ita intelligere volunt *l. placuit* in omnibus rebus præcipuam esse justiciæ æquitatisq; quam stricti juris rationem. *C. de judic.* Sed nos omissis interpretum delirijs statuti æquitatem in sententia, mente & ratione ejusdem subsistere dicimus.

13. Quando ergo sententia vel angustior est quam verba; id est, cum statutum plus scripsit, minus voluit, vel causa seu ratio statuti cessat, statutum temperari potest æquitatis regula, ut verba cessent propter sententiam legis. *l. 1. §. si intelligatur. 6. de edil. edict. l. adigere §. quævis de jur. patron. l. benignius de legib. l. illud. in princ. de petit. hered. l. si servum §. sequitur 3. de verb. oblig.*

14. Sicut & cum sententia latior est quam ipsa verba; cum statutum plus voluit quam scripsit; ex sententia benignius statuta interpretanda sunt. *d. l. benignius de legibus. arg. l. si sponsus 5. in princ. de donat. int. vir. & uxor. l. si quis patrem. 3. §. si. autem solus 3. de SC. Macedon.* ut ubi eadem ratio est, idem quoq; sit jus; & statutum extendatur propter rationem in eo expressam ad omnes casus sub dicta ratione comprehensos, sicut & de similibus ad similia. *l. non possunt l. nam ut ait. l. de quibus in princip. de legib. d. l. non dubium l. fin. in princ. C. de legib. l. illud D. ad L. Aquil.*

15. Singularis tamen prudentia in æquitate seu statuti sententia investiganda adhiberi debet, cum in quæstionibus de bono & æquo plerumq; sub auctoritate juris scientiæ perniciosè erratur. *d. l. si servum 91. §. sequitur. 3. de verb. obligat.*

16. Quamvis autem statuti æquitas sæpè lateat, & incautos, nonnunquam etiam prudentes, fallat, attamen statutum nihilo minus valebit & observari debet, evidentem etiam si non habeat rationem, atq; quandam rigoris duriciem inducere videatur: cum scilicet verba statuti ita scripta sunt, ut appareat constituentes hoc ipsum velle, licet nobis æquum non videatur propter ignotam legis rationem, non quod statutum absq; ratione constet, sed quod causa impulsiva nos lateat, nec sit cujusvis latentem legis rationem perspexisse; *l. prospexisse §. 1. D. qui & à quib. manum l. non omnium de legib.* Quando enim statutum semel est statutum, non de ipso sed secundum illud judicandum est, *ut inquit Augustin c. erit. autem c. in illis dist. 4.*

17. Quod si statutum ejusq; sententia omnino sint obscura, quibus

quibus jus condendi statuta competit, illam interpretari & duritiam incongruam emendare rectè possunt. *l. leges 9. l. fin. C. de legib.*

18. Sed si aperte statutum cum ratione inveniatur pugnare, incipit esse quæstionis, an vim legis habeat. Quam distinctionis fœdere resoluo, ut si rationi juris divini, naturalis & bonis moribus repugnet, statutum penitus sit nullum. *l. decernimus C. de SS. Eccles. l. licet & l. fin. C. de incest. nupt.* Quod si tantum rationi vel æquitati vel justitiæ civili adversatur, statutum valebit, licet durum videatur, si modo salutem civium contineat. *d. l. prospexit.*

19. Hinc non valet statutum, quod pro homicidio imponit pœnam pecuniariam, quale fuit in Polônia, si nobilis plebejum interfecisset, sed rectè à magnanimo rege Stephano sublatum. Juri enim divino repugnat, *Genes. 6. 9. v. 6. Matth. cap. 26. v. 52. & iniquitatem cum delinquendi facilitate inducit. arg. l. unio. C. de monopol.*

20. Nec tamen & illud valebit statutum, quod indistinctè homicidij pœnam capitalem constituit, etiam in casu defensionis: quia tale statutum contra jus naturale militat, quod defensionem admittit, *l. ut vim. de just. & jur. & immutabile existit. §. sed naturalia Inst. de jur. natur. gent. & civil.* Quocirca statuta pœnaliter semper intelliguntur clausulam in se habere, si delicta dolo malo fuerint commissa. *Mench. 5. præsump. 48. numer. 4. Voltz. ad L. Cornel. de ficar.*

21. In summa statutum justum dicimus, quod secundum justitiæ rationem loco personæ & tempori conveniens, pro communi civiũ utilitate & necessitate conscriptum est. *can. erit autem lex dist. 4.* Sicut enim publica salus semper præferenda est privata utilitati, *l. utilitas publica C. de primipil.* ita nec debemus in statutis condendis, quæ commune civitatis bonum respiciunt, singulorum incommoda valde curare, ut doctè differit *Scipio Amirat. lib. 14. differ. politic. discurs 7.* Neq; aliquando respiciendum, quosdam insontes in dubio perituros, quia semper habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. *Amirat. d. l.*

22. Contra jus civile rectè fit statutum, *d. l. omnes populi*  
*l. An-*

*l. Antiochiensium de reb. auct. judic.* si ne fiat, non prohibeatur. Quod si jure communi, ne fiat statutum in contrarium, prohibeatur, statutum non valet, velut in casu *Auth. navigia C. de furt.* de naufragorum bonis salvis & integris ipsis navigantibus reservandis: de peregrinorum & advenarum intestatorum bonis, ne ad hospites perveniant. *Auth. omnes peregrini C. commun. de success.*

23. Atq; cum in toto jure generi per speciem derogetur, *l. in toto de reg. jur.* consequens est, quæ statuta & jura municipalia vim & potestatem legum habent, ea juri communi derogare, *d. l. omnes l. leges 34. C. de legibus. l. item eorum 6. in princip. D. quod cuiusq; univers. nom.* & perpetuo valere. *l. Arriani, ibi, semper viridi observantia valituris. C. de heretic.* quicquid *Jaf. in l. non dubium num. 22. C. de legib. post Bart.* de annalibus prætorum edictis ogganriat. Statutum tamen in loco, ubi in viridi observantia viget, jus commune & civile dici potest. *d. l. omnes populi.*

24. Statutum potius recipit interpretationem ab alio statuto quàm à jure communi. *d. l. de quibus;* Si tamen casus obveniens statuti penitus nec per declarationem comprehendatur, tum demum casus statuto omissus in juris communis dispositione remanet. Proinde præcipua in omnibus negotijs & judicijs statutorum est ratio; *d. l. Antiochiensium 37. de reb. auct. judic.* cessante verò illorum ratione ad jus commune recurrimus.

25. Dicitur porro statutum jus scriptum, ad differentiam consuetudinis, quæ sine scripto subsistit. *§. constat Inst. de jur. natur. gen.* quamvis in statuto non tam scripturam quam sanctionem publicam respiciamus. *d. l. leges 3. C. de legib.* prout Lacedæmoniorum leges in scripturam non fuerunt redactæ, *§. non ineleganter. Inst. de jur. natur. gen.* quia animo potius quam calamo debent custodiri juxta præceptum Lycurgi. *Plutarch. in Lycurg.* Scriptura tamen nihilominus necessarium est requisitum statuti, ut per publicationem omnibus innotescat. *l. humanum 8. l. leges 9. C. d. tit. §. singulorum Inst. de rer. divis*

26. Statuta igitur eo sermonis genere conscribi debent, quo ab omnibus intelligantur, ne quid dubij ex verbis illorum suboriri possit, ne ulla ansa frivolis forensium disputationibus, quibus

bus omne jus depravatur, detur. Provinciæ tamen & municipia cum statuta & jus civitatis certum conscribunt, illud idioma usurpare tenentur, quo princeps vel Rex imperium in eos habens utitur, nisi superioris approbatione vel conniventia contrarium observetur. Romani tamen cum essent superiores vulgarem suam, in toto orbe linguam reddiderunt, *Besold. de legibus. thes. 30. & seqq.* qua etiamnum Poloni plerumq; in decretis & publicis negotijs utuntur.

27. Statuta quam fieri potest breviter, concinnè tamen, formari debent, ut omnibus notæ & memoriæ inhærere possint; quales fuerunt leges 12. tabularum, quas Romani pueri ediscebant; & veteres Germani leges brevissimè rythmis comprehendebant, ut eo facilius memoriæ insingerentur; licet apud illos plus bonos mores quam alibi bonas leges valuisse author sit Tacitus: Statutorum & legum multitudo Reip. valde est nociva; *Schonborn. lib. 3. politic. cap. 7.* supervacanea & mutata sæpe Republica, inutilia penitus sunt rescindenda, *Partben. litig. lib. 2. cap. 5. num. 17. & seqq.* nec commentarios illis applicare licet, cum in antiquioribus per contrarias interpretantium sententias totum jus penè conturbatum. *l. 1. §. nostram ausem 12. C. de veter. jur. enucl.* Jubeat statutum non disputet, nec inanes Advocatorum disputationes admittat. *Senec. epist. 96.*

28. Quia verò quoad commune Reip. bonum & populi salutem supradictæ circumstantiæ statuta variare solent, æqualis æquitas esse videtur, tam in promulgando quæ justa sunt, quam antiquando quæ gravia. Tempori uti inserviendum, ita temporamutata varia exigunt statuta, præsertim si salus populi mutationem postulet, urgeatq; necessitas. Statuta namq; ad Remp. accommodari debent, non ad statuta Respublica; cum statuta inservire oporteat Reip: non Remp. statutis; Ideoq; pro locorum, temporum & personarum infinita varietate statuta mutari & dormire nonnunquam possunt.

29. Cæterum statuta & leges, quæ vigorem suum sunt consecutæ, licet duræ, non leviter debent abrogari, nisi evidens utilitas aliud suaserit. *l. in rebus de constit. princ. l. minime de legibus.*

B

Muta-

Mutatio enim Reip. pernicioſa exiſtit; cum cives aſſueſcant facile leges mutare, & ipſa ſtatorum autoritas vileſcat. Locrenſes & Thurij neminem audire voluerunt, novam legem introducere volentem, niſi prius collum laqueo implicaffet, ut ſi populus eam non approbarer, malè conſulens conſeſtim ſuffocaretur. *Diodor. Sicul. lib. 12.* Apud Medos edicta regum immutabilia habebantur. *Daniel. c. 6. v. 15.*

30. Quod ſi tamen iniqua ſint ſtatura, contra Charondam legiſlatorem, qui & nimis ſtrictè legis, nequis cum gladio in publicum prodiret, à ſe lata ſed per ignorantiam violatæ vindictam in proprium exercuit corpus ab illis recedendum putamus, ne ſtatura à tramite juſtitiæ exorbitent aut vinculum iniquitatis inducant.

31. Statutum varias recipit diſiſiones. Aliud eſt generale, quod in regno, ducatu provincia &c. conſtitutum eſt & obſervatur; aliud municipale, quod in certa civitate & diſtrictu ejuſdem regni, ducatus, provinciæ, &c: conſtitutum eſt & obſervatur. Illud reſpectu hujus jus commune appellari poteſt; ut deſiciente ſtato municipale ejuſque ratione, ad ſtatutum regni vel Reip. generale fit in cauſarum deciſionibus recurrendum.

32. Sic etiam ſtatutum aliud eſt publicum, aliud privatum. Publicum, quod ipſum Reip. ſtatum ſpectat; Quo referimus leges cujuſque regni & Reip. fundamentales quas immutate nunquam licet; qualis eſt apud Gallos LEX SALICA. Privatum verò ſtatutum dicitur, quod ſingulorum cujuſlibet Reip. civium utilitatem concernit. *§. hujus ſtudij Inſt. de juſtit.*

33. Non minus ſtatutum vel in rem vel in perſonam ſcriptum eſt. In perſonam ſcriptum cives ejus Reip. quæ ſtatura condidit, tantum obligat, non vero forenſes etiam ratione bonorum ibidem ſitorum, *l. eſt verum C. de incol. Coſbman. conf. 21. vol. 7. qui numer. 144.* hoc extendit etiam ad cives, ut quoad bona extra territorium ſita non obligentur. Proinde licet civibus domicilium in urbe habentibus, ratione ejuſdem per ſtatutum onus perſonale, veluti excubias nocturnas diurnaſve habendi, imponatur, illud tamen forenſes, qui jura civium non habent, ſed in  
alia

alia Repub. separata, licet iisdem moenibus cum urbe comprehen-  
sa, quoad sua domicilia non ligat.

34. Statutum vero in rem scriptum tam cives quam fo-  
renses ad ejus observantiam obstringit, quoad bona ibi sita prout  
in hac civitate Academici ratione bonorum immobilium onera  
realia sicut reliqui cives **den Bürgern gleich** præstare tenen-  
tur.

35. Cum etiam statuta in rem scribi dicantur, quæ in bona  
directo scripta sunt, quæ bonis aliquam qualitatem adijciunt, ut  
vel ad hunc vel ad illum devenire possint & debeant; *Codeu. conf. 37.*  
*num. 1.* Jure vero Lubecensi bonis hereditarijs hæc qualitas adij-  
ciatur, quod in via successionis permanere debeant, & sine here-  
dum ab intestato venientium consensu, nec inter vivos nec ultima  
voluntate alienari nequeant, *statut. Lub. lib. 1. tit. 10. art. 2. & 6. & lib. 3.*  
*tit. 7. art. 2.* dicimus testamenti factionem de ejusmodi bonis esse  
interdictam.

36. Sed hic quæstio moveri posset, si civis duos relinque-  
ret filios, qui bona hereditaria inter se æqualiter dividunt, quo-  
rum unus civis patriæ Reip: manet, alter doctoris titulo insigni-  
tus Academicæ subjectus est jurisdictioni, an hic de bonis heredi-  
tarijs vel inter vivos testamento disponere possit. Quod veritatis  
indagandæ gratia negamus.

37. An vero conjugii superstiti lucrum statutarium à thori  
consorte per ultimæ voluntatis dispositionem imminui, vel etiam  
ob injectionem violentæ manus vel injurias reales, quibus de caus-  
sis liberi exheredari possunt, adimi possit, non inelegantis est quæ-  
stionis. Discursus ergò affirmamus.

38. Statuta condere possunt populi cujusq; civitatis non  
soli magistratus, sed accedente civium seu statuum vel majoris  
ejus partis assensu. *d. l. omnes populi. l. d. quib. de legib. l. humanum C. eod.*  
*§. lex est. Inst. de jur. nativ. gens.* quia legum & statutorum constitu-  
tiones ipsius civitatis, quæ magistratus & subditos utrosq; cives  
continet, fundamentum concernunt, ideoq; jus legum condenda-  
rum ad omnes cives, vel qui eosdem representant, pertinet. In  
Monarchia Polonorum statuta in comitijs publicis cum suffragio

& voluntate regis, regni Senatorum atq; nunciorum terrestrium conduntur, ut rex sine illorum approbatione & autoritate statuta regni promulgare non possit. In Aristocratico statu Veneti consilij magni, in quod admittuntur omnes nobiles cives, qui annum ætatis vicesimum quintum excefferunt, autoritate leges, quæ ad constitutionem Reip. pertinent, sancire solent, *Contaren. de Repub. Vener. lib. 1.* In Democratia Helvetiorum legum latio à toto Senatu vel deputatis omnium pagorum in publicis conventibus peragi solet. *Simler. de Repub. Helvet. fol. 127. b.*

39. Qui vero sunt inferiores, regno, ducatu provinciarum, & c. subiecti, si modo illis imperium, & jurisdictio omnis competat, statuta itidem condere possunt.

40. De statibus imperij Romani nullum est dubium, quod in suis Rebuspubl. jus statutorum faciendorum habeant; cum habeant jura territorij, & c.

41. Academiæ quibus plerumq; imperium & jurisdictio in Repub. literaria competit, leges & statuta tam civilia quam criminalia pro necessitate & utilitate civium condere, professoribus legendi modum & formam præscribere possunt.

42. Oppida, municipia, quæ nec simpliciter nec in totum imperium & jurisditionem exercent, non nisi autoritate superioris & mediati domini, jus condendorum statutorum habere,

43. Quamvis & consultius videatur, ut quicumq; superiorem agnoscunt, in condendis statutis domini autoritatem & approbationem adhibeant, idq; moribus ubiq; servari docet, *Vvesenb. in pandect. De legib. c. 4.*

44. Quando vero privati, uti collegia, sodalitia, & mechanici, quasdam leges seu conventiones inter se erigunt, pacti potius rationem, quam statuti habent, ideoq; non obligant nisi consensu, aut metu adjectæ pœnæ. *Vvesenb. d. l.*

45. In confraternitatibus illustrium familiarum sicut in Ganerbinatu, quem alij speciem nobilis feudi appellant quatenus ab Imperatore Romano illa consociatio approbata; jus condendi statuta admittimus.

46. Non

46. Non autem Respub. semper ipsa condunt statuta, sed ab alijs civitatibus condita, quandoq; ut jus sua civitatis proprium, quasi ea sibi constituissent, recipiunt, Romani suas leges à Græcis acceperunt: uti civitates Polonorum jure Magdeburgen. utebantur, Sic Rostochienfes statuta Lubecensia ut jus peculiare receperunt, Illustrissimis Principibus Megapolitanis obtulerunt; ut secundum ea sententia per Appellationem suspensa vel confirmentur vel reformentur.

47. Quandoq; vero Resp. certum jus conscribit, non tantum id fiat consensu populi, vel majoris ejus partis vel qui populum representant, *l. humanum 8. C. de legib.* sed vel maximè negotium conscribendorum statutorum Jctis committatur. *Keller. de offic. jurid. polit.* Sic enim Lacedæmonij Lycurgum, Athenienfes Solonem, Locrenses Zaleucum &c. legis latores habuerunt: Atq; cum jus commune in quovis loco semper maneat, nisi quatenus per contrariam legem vel consuetudinem mutetur, judicium boni Jcti in scribendis statutis admodum desideratur, uti familiaris mihi quondam amicus Dn. Levinus Buchius Jctus insignis ad postulationem omnium statutum ducatus Borussia, statuta Borussia conscripsit.

48. Statuta quando in publicum promulgantur, magistratus, cui cura Reip. magis incumbit, nomine & autoritate fieri debet; ita tamen ut expressè adjiciatur, voluntate & consensu civium, aut qui illorum locum in Reip; negocijs subeunt, statuta illa sancita esse. *d. l. humanum.*

49. Statuta non in singulas personas sed generaliter constitui debent. *l. jura 7. De legib.* ut quamvis specialiter de una aliqua re aut persona loquantur, in similibus, tamen casibus & personis valeant, ut ex supra dictis patet *Vvesenb. d. l. c. 5.*

50. Unde licet statuta constitui oporteat de ijs, quæ frequenter accidunt, non quæ perraro possunt evenire, attamen cum statuta plus contineant quam jus commune, etiam de raro evenientibus statuta condere licitum. *arg. l. adeo 7. S. insula De adquir. rer. dom. l. antiqui. in fin. D. si pars hered.*

51. Sicuti leges futuris negotiis formam dant, non autem



præteritis, *l. leges. 7. C. de legib.* ita & statuta de futuris rebus non  
autem præteritis ferenda sunt, ne ut dicitur in *c. 2. De constit. princ.*  
ante prohibitionem damnum incurrant ignorantes. Hinc nec le-  
gis novæ pœna gravior ad commissâ prius delicta porrigi debet.  
*l. divæ memoriæ, in fin. C. de decur.*

52. Quamvis autem, ut ait *Cic. in 3. Verr.* valde iniquum  
sit, ejus rei periculum proponere, quod retro provideri non po-  
tuit; interdum tamen statutis nominatim cavetur, ut etiam ad præ-  
terita aut præsentia negotia trahantur. *c. fin. De constit.* Sicut &  
eum agitur de jure acquirendo, hoc est, lucro faciendo præteritis  
aut pendentibus negotiis, statutum formam dat, præsertim acce-  
dente aliquo favore rei subjectæ aut odio delicti. *l. sancimus 21. in fin.*  
*C. de SS. Eccles. Vvesenb. c. 5.*

53. Statuta commodum & utilitatem suæ civitatis potissi-  
mum concernere debent, præcipiendo & puniendo, quo mali-  
quantium audacia coerceatur. Nam improbitas hominum caus-  
sam statutis dedit, *Schonborn. de lib. 3. c. 4.* sicut ex malis moribus  
bonæ leges ortæ, *Varsevici. d. opt. stat. libere. fol. 27.*

54. Ideoq; omnes statutis obtemperare & secundum ea  
suas actiones conformare tenentur, qui cives istius civitatis perhi-  
bentur. *d. l. leges ut 3. C. de legib.*

55. Nec hic excipio reges, principes & magistratus quasi  
illiâ statutorum observantia essent soluti; sed exemplo Zaleuci &  
Charondæ statutorum pœnis sunt subjecti. *l. digna. vox C. d. tit.*  
Ille ut legi contra adulteros latæ, quæ oculorum privationem  
continebat, suus constaret vigor, oculum filio unum sibiq; alte-  
rum erui curavit. *Ælian. lib. 13. hist.* Hic cum contra legem inco-  
gitantia cum gladio in publicum prodiret, seipsum gladio statim  
transfixit, ne quicquam statutorum observantiæ decederet: quod  
tamen exemplum supra *thes. 30.* minime probamus; licet mali exem-  
pli res est, si legislator eam, quam ipse tulit legem non servet. *Ma-  
chiavel. 1. disp. 45.*

56. Cum vero extra territorium dicenti jus impune non  
pareatur, *l. fin. De jurisdic.* Statuta peregrinum vel forenssem non  
modo

modo non extra locum territorij, sed nec in territorio peregrinantem obligant; nisi aut delinquat in territorio aut contrahat, aut litiget, aut ratione bonorum controversiam patiat.

57. Veneti proximis annis adversus interdictum Pauli V. Papæ etiam cum excommunicatione conjunctum statuerunt, ne bona immobilia in personas Ecclesiasticas alienarentur, neve de novo Ecclesiæ & monasteria, aliaq; hujusmodi ædificia erigerentur absq; licentia Ducis, & literis, ut vocant, placitorijs: Sicut & Eduardus I. Angliæ rex legem tulit, ne cuiquam mortalium liceret prædia dare collegijs Monachorum, quod & Henricus V. confirmavit. *Polyd. Virgil. lib. 7. hist. Angl.* An vero talia statuta jure subsistant, videbimus.

58. Illud tamen statutum improbamus quo alienatio bonorum immobilium in Academicos incolas ejusdem civitatis quorum bona immobilia magistratus urbis jurisdictioni quoad omnia realia subjacent, prohibetur, atq; sibi civis cujusdam filiam in uxorem ducunt, decimam dotis amittant.

59. Tolluntur statuta vel alio statuto prius nominatim corrigente, vel consuetudine contraria, vel desuetudine seu per non usum, *l. de quib. De legib. l. fin. De consuet. l. 1. in pr. D. ad L. Aquil. c. 1. De consuet. in 6. l. precipimus C. de appellat.*

60. Quod si casus statuto contrarius in contradictorium judicium venerit, & sententia vel consuetudine comprobatus fuerit, statutum illud tollitur, qualiter hic Rostochij contra præscriptum juris Lubecensis *lib. 2. tit. 1. art. 30.* testamenta conjugum reciproca pro validis habentur.

DE

## CONSUETUDINE.

61. Cum vero statuto nihil similius sit, quam consuetudo, quæ per omnia fere ei correspondet, nisi quod statutum expresso consensu inducatur, consuetudo vero tacito; sicut & statuta jus novum, consuetudo jus vetus & usitatum ostendat, & deniq;

deniq; quod statuta in iudicio allegari aut probari non sit necesse; in consuetudine utrumq; requiratur; quæ de statutis superius dixi, huc etiam ut plurimum referri & accommodari possunt.

62. Differt consuetudo à præscriptione, quod illa acquiritur jus in commune, hac queratur jus in re privata: à stylo curiæ qui ab unius iudicis voluntate sæpè inducitur, & à *Bald. in l. fin. C. quæ sit long. consuet.* practica curiæ dicitur confirmata: Ab usu & moribus populi tanquam causa à suo effectu, quia consuetudo per usum & mores populi inducitur; & usus proprie factum, consuetudo jus continet. Promiscuè tamen Jcti hiscæ vocabulis utuntur. *d. l. de quib. d. l. omnes l. more De acquir. hered.*

63. Est autem consuetudo jus non scriptum, quam diurni mores tacito utentium consensu comprobati introduxerunt. *d. l. de quib. §. sine scripto. Inst. de jur. natur.* estq; generalis vel specialis. *VVes. de consuet. c. 1. & 2.* Generalis est, quæ in imperio regno, ducta provincia, &c. ubiq; viget. Specialis, quæ in certo loco obtinet.

64. Inepta est disputatio, quam post *Bald. Jas. in d. l. de quib. num. 83.* movet, quod consuetudo sit jus civile si à populo, prætorium, si à magistratu introducatur. Nam etiamsi à magistratu per sententias fortè initium fiat, ob populi tamen, qui in eo usu acquiescit, patientiam consuetudo dicitur. *VVes. d. c. 1. n. 3.*

65. Cum consuetudo sit jus, juri divino, naturæ, honestati ac rectæ rationi bonisq; civitatis moribus congruere debet, **muß eine gute vornunftige gewohnheit sein.** *c. 1. c. ad evidentiam De consuet.* ut exinde dicamus consuetudines, quæ contrarium inducunt & continent, irrationabiles esse, recte gangrænas civitatis appellari, & verum litigij seminarium esse. *Partben. litig. lib. 1. c. 13. numer. 2.*

66. Sicut ergo multitudo errantium & delinquentium non parit errori vel delicto patrocinium, ita si quis probet alios frequenter blasphemasse vel quid gravius aut minus deliquisse, nec tamen juris pœna castigatos, tali irrationabili consuetudine ab ordinaria pœna excusari nequit. *Partben. litig. d. c. 13. n. 3.*

67. Et

67. *lib.* Et quamvis nonnulli existimant, irrationabilem consuetudinem, præsertim quæ sit immemoriali tempore observata, à pœna excusare, atq; vim privilegij habere, attamen verissimum est, quod flagitia, quæ sunt contra legem divinam & naturam, ubiq; & semper detestanda & punienda sint, ut etiamsi omnes vel pleræq; gentes illo delicto essent coinquinatæ, non tamen ob prævam consuetudinem delictum esse cessaret. *c. flagitia 32. q. 7. l. 16. §. fin. De pœn.*

68. Consuetudo probandi sagas per aquam frigidam licet in Westphalia, alijsq; multis in locis usurpata ratione juris caret, ut graviter iudices errarint; qui hinc indicium ad torturam sumserint vel ad ipsam condemnationem devenerint; qui etiam imperitiæ pœnam sustinuerunt; ut in foro observavi.

69. Ita consuetudo, quæ naufragorum naves & bona rapit & domino loci seu littoris addicit, omni ratione caret; ut magis illi laude efferendi, qui accepto pretio, quod vocant **Barge Gelde** / naufragis omnia bona libera relinquunt. *Auth. navigia C. de furs.*

70. Sic planè sunt illicitæ consuetudines, ut ductus ad ultimum supplicium à virgine in matrimonium reum petente liberetur, vel si ei Cardinalis obviam factus; ut carnifex uno ictu iustitiæ decretum non exequens, lapidibus obruatur, ut quod unus mechanicorum incepit, alteri perficere non liceat; ne barbitonorum, molitorum & opilionum filij ad sodalitates admittantur; quam consuetudinem, cum molitoris filium è sodalicio nautico è Megapoli in Albi Hamburgum navigante excludere vellent, reprobata memini: ut incarcerati præter pœnam carceris pecuniam solvere cogantur, **daß sang oder schließ Gelde &c.** *Parthen. d. 6. 13. numer. 12.*

71. Tales vero consuetudines prævæ, irrationabiles, injustæ, litium genitrices, rerumpubl. corruptelæ, pessimus tyrannus, insidiæ & laquei calumniantium sunt penitus abrogandæ, quod commodè per constitutos Censores in qualibet Rep. fieri potest. *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 1. Parthen. litig. lib. 2. c. 11. n. 2. 9. & 10.*

72. Quo etiam referimus Anglorum consuetudinem, quæ dominus vasallo pupillo matrimonium offert, quod is sine gravi multa recusare non potest. Polonorum, Holsatorum &c. qui pro occisi præsertim, ignobilis capite certum pretium solvunt: Germanorum qui non nisi genere nobiles in Cathedrali Ecclesia canonicos admittunt.

73. Proprium consuetudinis est constare sine scripto. *§. sine scripto, Inst. de jur. natur. gent.* Quod si tamen in scripturam redigatur, cum probationis & majoris certitudinis tantum gratia id fiat, consuetudo nihilominus manet, prout consuetudines feudales licet hodiè sint scriptæ naturam suam non immutarunt, sicut nec testamentum nuncupativum à Notario scriptum.

74. Consuetudinem introducere possunt, qui & statuta condere, *c. 1. De constit. in 6.* & licet ipsa consuetudo ex moribus populi diuturnis desumatur.

75. Non autem necesse est, ut ab omni populo consuetudo sit introducta, verum sicut in statutis majoris partis consensus requiritur, *l. quod major. D. ad municip.* ita à majore parte populi, ex pluribus actibus etiam singulorum consuetudo probatur, modo illi actus & observantia in veri similem populi notitiam perverint.

76. Non tamen ab una familia civitatis consuetudo dependet, cum & aliàs consuetudinum jus non sumatur ab auctoribus, sed ab ipso usu diuturni temporis. *Wesemb. d. l. cap. 4. numer. 4.*

77. Consensus autem populi vel majoris partis in tacito usu consistit; par tamen est virtus taciti & expressi. *l. de quib. in fin.* si modo talis sit populus, qui vel regalia, vel jura territorii, vel imperium & jurisdictionem habeat.

78. Quod si populus principi alicui in totum & sine conditione subdit, sicut is statuta facere nequit, sine principis consensu; ita nec consuetudinem, quæ jus est. Si tamen principis patientia & conniventia consuetudo quædam fuerit observata, ex tacita principis approbatione juris vim in illo loco consequitur.

79. Col-

79. Collegia artificum cum jurisdictione destruantur, consuetudinem quidem inducere nequeunt, usus tamen quorundam actuum frequentia introducti eos privatim ligant, ut secundum illos causas inter se determinare possint.

80. Cum autem leges ad introducendam consuetudinem modo tempus longævum. *l. 2 C. quæ sit long. consuet. junctæ l. 56. De usufr. modo inveteratum & c. requirant. l. 32. §. 1. De legib. junctæ l. 2. §. 1. De qua & aq. pl. arc.* quantum temporis ad jus consuetudinis formandum requiratur multis se DD. fatigant altercationibus; Nos à primo actu 40. annorum tempus requirimus. *l. fin. cum Auth. seq. C. de SS. Eccles.* nisi brevius tempus forte moribus & statutis admittatur; ideoq; quid in consuetudine introducenda antea observatum, diligenter attendendum.

81. Actus quod attinet, quoad consuetudinis probationem duos equidem sufficere in puncto juris defendi potest. *arg. l. 12. De testib. l. 3. C. de Episcop. audiens.* si tamen illi actus ita sint notorij; ut verisimiliter in populi notitiam devenierint, aliàs tot actus necessarij; qui tacitum populi consensum arguant. *l. 1. C. quæ sit long. consuet. l. 3. C. de adif. privat.*

82. Judiciales equidem actus, puta res judicatæ in probanda consuetudine vel maximè attenduntur. *l. nam imperator De legib.* Nec tamen actus extra judiciales excludimus, cum usum probari sufficiat. *l. 34. & l. 38. De legib.*

83. Quia vero consuetudo ex his actibus resultat, consuetudinem, licet jus, allegans, nisi planè sit notoria eam quatenus est facti, ex præcedenti diuturno usu per actus probare debet, *l. 1. C. quæ sit long. consuet.*

84. Quod si post primum actum supra dicto tempore actus contrarij fuerint observati, interruptam seu potius non introductam esse consuetudinem, dici potest.

85. Probatur vero consuetudo aut scriptura aut testibus scriptura si in scriptis redacta est uti consuetudines feudorum Gallia, Burgundia, &c. sicut & attestations magistratuum super-

consuetudine sententiæ in contradictorio iudicio obtentæ, & instrumenta extra judicialia. *VVes. de consuet. c. 6. n. 2.*

86. Per testes advocatos & procuratores curiæ consuetudo ad ordinationem iudicij pertinens summarie probari & iudex ab ijs instrui potest. Quatenus verò consuetudo decisionem causæ spectat, legitime & plene per testes duos omni exceptione majores probanda est, nisi plures testes moribus requirantur, ut in Gallia per decem testes consuetudo probatur. *Fab. in §. ex non scripto Inst. de jur. natur. genr.*

87. Testibus peritis de consuetudine creditur, etiamsi in genere tantum causam scientiæ reddant, veluti, se ita semper & cotidie vidisse practitari. *l. 1. §. 1. De ventr. inspic. l. semel C. de re milit. imperiti vero de particularibus actibus & temporis diuturnitate deponant necesse est. VVes. d. l.*

88. Testes qui consuetudinem in genere affirmant, si postea de diversis actibus testentur, ipsam consuetudinem recte probant. *Curt. in c. fin. D. consuet.*

89. Quod si testes tempus actuum omnino non, vel brevius tempus indicent, quam consuetudinis jus requirat; liberum est iudicij aut sequi & confirmare consuetudinem contradictorio iudicio, aut improbare. *Curt. in d. c. fin.*

90. In consuetudine immemoriali, sufficit si testes viderint ita observari, & à suis majoribus idem audivisse, nec vidisse aut audivisse, quemquam qui contrarium diceret aut meminisset. *Fab. d. §. ex non scripto.*

91. In iudicijs tamen contradictorijs non semper ejus loci, in quo causa ventilatur, consuetudo attendenda est, sed potius contractus, delicti & rei sitæ, *l. si fundus De evict. l. 1. in pr. De usur. l. 1. C. ubi senator. l. an in totum C. de adif. privat. l. cum unus §. is cui De reb. auctor judic.*

92. In executionibus vero ea inspicienda est consuetudo, non ubi sententia dicta est, sed ubi executio faciendæ. *VVesemb. d. l. c. 7. num. 3.*

93. Con-

93. Consuetudo tacito utentium consensu introducta, totum populum obligat. *arg. l. venditor §. si constat, ubi DD. D. comman. prad. l. i. C. de summ. trinit.* non vero extra locum suum ad personas aut res alibi sitas extenditur. *c. i. fin. De constit. in 6.* Quatenus autem quis in aliena jurisdictione forum sortitur, eatenus ejus loci consuetudini subjacet, *ut dixi th. 91.*

94. In testamentaria successione peregrini sicut & quilibet se consuetudini & statutis ejus loci, in quo conditur testamentum, accommodare debent, & tunc valet in omnibus bonis ubicunq; sitis. *Ausb. omnes peregrini C. commun. de success.* Sed hic practicabilis quæstio obiter moveri potest, an si quis de bonis hereditarijs de quibus jure Lubec. testari non licet, in alio loco testamentum fecerit, præsertim cum decimam magistratui loci, è quo hereditatem accepit, persolverit, an illud testamentum valeat? Exercitij gratia negamus.

95. Quod si ab intestato successio fiat, & defunctus in diversis territorijs bona immobilia habuerit, cujusq; loci ubi res sita est, consuetudo sequenda. *l. pupillo in princ. De tutor. & curat. dat.* in mobilibus, quæ personæ coherent, consuetudinem patriæ vel domicilij attendimus. *d. Ausb. omnes peregrini.*

96. Consuetudo Galliæ & Poloniæ, ut peregrini bona, si absque liberis moriatur, ad regem jure albinagij vel alio perveniant; exclusis agnatis & collateralibus, vix approbari potest.

97. Consuetudo si nihil aliud quam lex aut statutum contineat, nomen consuetudinis non meretur, sed contra legem rectè inducitur, ut in generali consuetudine juri communi deroget ubiq;. *d. l. de quib. in fin. De legib.* Specialis vero consuetudo tollat legem in loco in quo introducta est & viger; uti in Megapoli licet fidejussor beneficio divisionis renunciaverit, attamen solidum ex consuetudine non solvit, sed solutionem pro rata faciens liberatur, nisi & huic consuetudini expressè renunciatum fuerit: qualis consuetudo etiam in Pomerania observatur.



98. Licet autem consuetudo recipiat interpretationem, ut ad similia devenire & ex consuetudine eam interpretari liceat, *d. l. de quib. c. 1. §. porro. Quæ sit prim. caus. benef. amitt.* tamen ubi lex contraria reperitur, consuetudinis interpretatio non recipitur; nisi ex lege; sed in casu consuetudine non expresso, juris communis dispositio remanet. *c. 1. De feud. cognit.*

99. Consuetudo equidem contraria consuetudine plene probata, non actu uno, tollitur, *d. l. de quib. in fin. Cure. d. 6. fin.* attamen si diversæ vel etiam contrariæ reperiantur consuetudines, ea sequenda, cujus actus tempore sunt posteriores. *l. fin. De constit. princ.*

100. Lege tamen generali specialis consuetudo non tollitur, nisi specialiter consuetudinis mentionem faciat, *c. 1. de constit. in 6.* vel lex generalis pœnam contineat. *l. præcor. 3. §. Divos. 5. de sepulc. viol.* Quo refero constitutiones criminales **Die peinlich Halsgerichts Ordnung** Caroli V. statuto vero recte tollitur, cui comparatur *l. 7. in fin. D. quod cujusq. univers.*

101. Consuetudines antiquæ in moribus, judiciorum, formulis, in vestitu alijsq; in rebus præsertim solemnibus festivitibus & sodalitijs non facile mutari debent; ne familiaris & jucunda inter cives tollatur conversatio, & quædam distractio animorum & diffidentia suboriatur. Et semper periculosum est Reipub. si quis dat legem antiquæ consuetudini adversam. *Machiavel 1. disp. 37.* Vulgus enim quantum à majorum consuetudine receditur, tantum à justo & æquo recedi putat. *Buchanan. de jur. regn. fol. 4.* Sed in tam amplissima statutorum & consuetudinis materia quæ à Jctis latissimè tractatur, hac vice pedem figimus.



AD



AD NOBILISSIMUM

D N.

RESPONDENTEM  
DE STATUTIS ET CONSUE-  
tudinibus publicè disputantem,  
amicum percharum.

**T**u quoq; GÖRTZIADUM stirpis FRIDE-  
RICE propago  
Virida, noster amor, Themidos bipatente  
propinas

Ex adyto (Jani VOLPRECHT Vigil æmule fratris)  
Primitias studij, trina jam laude Roseti  
Nostri, de trino fratrum conamine ad alta  
Pulpita Varniadum; dignum FRIDERICE notari  
Hoc factum cedro, quare Vos gloria cælo  
Clarabit, Vos fama Ducum ad palatia ponet.

HILMAR von Münchhausen  
Eques Schaumburgicus.



**G**entis GORZIADVM decus! STATUTA,  
Quæ Respublica sit satis tenenda

Scris

*Scrutaris: Themidos sacrata Diva;  
Possis utilis esse tutor olim  
Ut dulci patria, tuisq; profis,  
Aeternumq; pares ab arte nomen.  
Maecte hoc ingenio novem Sororum  
Proles, Nobilium decusq; maecte,  
WILHELME FRIDERICE ritè maecte!  
Ac duces patriam tuosq; in astra,  
Sic fructus venient tibiq; mille.*


Nobilissimo Dn. Comménsali, de Statutis  
publicè disputanti  
debiti Honoris causa gratulabundus  
adplaudēbar

**JOACHIMUS Kerstens.**









egia artificum cum jurisdictione destituantur, quidem inducere nequeunt, usus tamen quorum-  
sentia introducti eos privatim ligant, ut secundum  
inter se determinare possint.

autem leges ad introducendam consuetudinem  
magnum. l. 2 C. *quæ sit long. consuet. junctâ l. 56. De usufr.*  
m & c. requirant. l. 32. §. 1. *De legib. junctâ l. 2. §. 1. De*  
quantum temporis ad jus consuetudinis forman-  
multis se DD. fatigant altercationibus; Nos à  
minorum tempus requirimus. l. fin. cum *Aurb. seq. C.*  
revious tempus forte moribus & statutis admitta-  
in consuetudine introducenda antea observatum,  
endum.

s quod attinet, quoad consuetudinis proba-  
idem sufficere in puncto juris defendi potest. *arg. l.*  
*de Episcop. audiens.* si tamen illi actus ita sint noto-  
ter in populi notitiam devenerint, aliàs tot actus  
tacitum populi consensum arguant. l. 1. C. *quæ sit*  
*de adif. privas.*

iciales equidem actus, puta res judicatae in pro-  
ine vel maximè attenduntur. l. nam *imperator De le-*  
a actus extra judiciales excludimus, cum usum pro-  
C. l. 38. *De legib.*

ia vero consuetudo ex his actibus resultat, consue-  
us, allegans, nisi planè sit notoria eam quatenus  
cedenti diuturno usu per actus probare debet, l. 1.  
*uer.*

quod si post primum actum supra dicto tempore  
uerint observati, interruptam seu potius non in-  
onsuetudinem, dici potest.

batur vero consuetudo aut scriptura aut testibus  
ipris redacta est uti consuetudines feudorum Gal-  
& c. sicut & attestaciones magistratuum super

C 2

con-